



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

giam operam Turcæ nauant in bellis. Hic multi nobiles , quos Vaiuoda habet ad manum. Seditiosi habentur , & in Principem parum fideles. Eodem modo cum Valachis vxores tractant , qui buscum & ritu Græco , & idiomate concinunt. In eo autem multæ voces Italicæ arguunt eos origine Italos esse , ut diximus in Valachiæ nomine.

NVM. 4. *Politia.*

VAIUODA se Regem Moldauiæ nominat , & olim pendebat ab Hungaro , à quo cōfirmabatur selectus à Moldauis. Nunc ad Turcas transit cui tributi nomine pensitat ferè 200. librarum Franciarum millia , cum 500. equis pulcherrimis , & 300. falconibus selectis. Olim Princeps armabat 60. equitum millia , hodie vix 20. virgente tamen bello 50. millia posset educere. Filius siue legitimus , siue nothus succedit patri , & priūm natus signatur eandente ferro. Bassa Moncastrensis , vulgo de Bialogrod , prouidet ne prouincia illæ rebellent , quasi Cosakorum metu , ideoque sibi conficit 100. Sultanorum millia , verbo in regionis tutelam , reuerâ in Turcicam rapinam.

§. 10. *De Bessarabia.*NVM. 1. *Nomen.*

VNDE extiterit vox illa incertum : nisi à Bessis , qui huc immigrarunt. Certè eò peruersisse Arabas suspicamur ex Bulgarorum facto cuius meminimus in Moribus Bulgarorū. Eam quoque apud Calcondylam dici Istriam non improbabiliter aliqui suspicantur.

NVM. 2. *Qualitas.*

REGIO hæc fertilissima , in quâ nihil deesset , etiam ad vitæ delicias , nisi in eâ Tartari degerent , hanc Cosaki infestarent , hostes & hospites ex æquo metuendi.

NVM. 3. *Mores.*

HIC Tartari viuunt more suo , hoc est laeti , & carne equorum suorum. Aspectu terribiles sunt , & iis sæpe vtitur Turca non tam ad pugnandum , quam ad inferendam in hosticum vastitatem ; & ad augendum terrorem , hos vocat Præcopitas.

Qq ij